

«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (5)

2.3.5.5. De pimo «conventu generali» ab P.re Andrea Amhein habito

Aspectus, quo putari potuit foundationem Ottiliensem quadamtenus esse stabilitam, praebebatur «conventū generali», quem P. Andreas Amrhein autumnno a. 1895ⁱ convocavit.¹ Talia fieri potuerunt, quia hōc temporis momento praeter candidatos, fratres laicos, novitios fratresque clericos revera etiam patres ad consociationem pertinebant.²

«Conventum generalem»,³ qui dicitur, praeter ipsum P.rem Andreā Amrhein omnes clerici professi participaverunt, qui in patriā versabantur,⁴ et insuper P. Maurus Hartmann, Praefectus Apostolicus, qui ex Africa advocatus erat. Itaque unā cum P.re Andreā Amrhein in summa erant quattuordecim participes. Sessiones autem locum habebant in monasterio Sanctae Ottiliae ab die 23^o m. Sept. a. 1895^o usque ad Kalendas Octobres a. 1895ⁱ.

¹ Cfr Leander BOPP: Andreas Amrhein O.S.B. Der Gründer der Benediktinerkongregation von St. Ottilien. St. Ottilien 1954 (typoscriptum), pp. 242 sqq.; Frumentius RENNER: Der fünfarmige Leuchter. I. St. Ottilien ²1979, pp. 158 sq.; Viktor DAMMERTZ: Die staatskirchenrechtliche Grundlegung der Kongregation von St. Ottilien. In: Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), pp. 345 sq.; Hartmut MADL: Pater Coelestin Maier (1871-1935). Winzer 1999, pp. 60 sq.

² Ut Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 158 refert, in dioecesis Augustanae schematismo anni 1896ⁱ indicantur ad consociationem Ottiliensem autumnno a. 1895ⁱ pertinentes sex clerici, triginta sex fratres laici atque duo novitii sacerdotes (qui erant Norbertus Weber et Cyrillus Wehrmeister), praeterea viginti tres novitii, quinque oblati atque quinquaginta alumni. Non autem numerabantur illi, qui in regione missionariā operabantur.

³ Hic conventus in historiā Ottiliensi non numeratur ut regulare capitulum generale (quamvis inter secundum capitulum generale anni 1906ⁱ ab nonnullis rogatum sit, ut idem in numerationem assumeretur). Leander BOPP (1954), p. 244 explicat abbatem Ildefonsum Schober verisimiliter illum conventum non numeravisse ut capitulum generale, quia consociatio Ottiliensis anno 1895^o nondum erat clerica societas exempta. - Eā de causā etiam Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), pp. 158 sq. et Viktor DAMMERTZ: Grundlegung. In: Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), pp. 345 sq. solum de conventū generali scribere solent.

⁴ Leander BOPP (1954), p. 242 participes enumerat, qui erant P. Maurus Hartmann, P. Leo Lang, P. Dominicus Enshoff, P. Alfonsus M. Adams, P. Placidus Vogel, P. Coelestinus Maier, P. Ambrosius Mayer, P. Anselmus Walther, P. Bernvardus Baule, Fr. Chilianus Rūth, Fr. Bruno Weinrich. - Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 158 summam solum de octo patribus participibus scribit, fratres clerici non commemorantur.

Scopus autem primarius huius conventūs erat in eo, ut de consociationis statutis, quae rei publicae ad comprobandum praebendae erant, consuleretur. Itaque in sessionibus de singulis paragraphis statutorum disceptabatur. Scitū dignum est, quod unā ex parte etiam in quaestionem, quae ad condicionem fratrum laicorum spectabat, incumbi videbatur. Nam decernebatur, ut iisdem, ut meliorem statum quam in aliis monasteriis haberent, votis solum consulentibus sessiones capituli participare liceret et ut eorum condicio spiritualis magis respiceretur.⁵ Magni autem momenti erat, quod etiam problemata missionaria disputabantur.⁶ Susplicandum vero est tales quaestiones imprimis P. ris Mauri Hartmann interfuisse, qui ut Praefectus Apostolicus non solum ipse condiciones regionis missionariae bene novit, sed etiam multa ex experiētiis practicis missionariorum afferre valuit. Uti iam commemoratum est, in regione missionariā ab initio discrepantia inter missionariam conceptionem theoreticam P. ris Andreae Amrhein et condiciones practicas sentiebatur, quia numerus patrum fratrumque ad plura monasteria vera condenda non sufficeret. Hōc problema in conventu generali aliquatenus solvebatur, cum constitueretur, ut in initio in partibus interioribus Africanae regionis missionariae maiora monasteria non conderentur, sed tantummodo stationes minores instituerentur.⁷

«Statuta Germanicae Consociationis Sancti Benedicti pro missionibus exteris in loco Ambinga Ottiliensi (societas agnita)»⁸ ad régimen mittenda, de quibus «conventus generalis» consulerat, denique ab omnibus participibus unanimiter lata sunt.⁹ Haec statuta ex triginta paragraphis composita erant, quorum viginti paragraphis primis de constitutione totius congregationis agebatur, paragraphis vero ultimis specialia «statuta sororum missionariorum Sancti

⁵ Cfr Leander BOPP (1954), p. 243.

⁶ Cfr Leander BOPP (1954), p. 243; Frumentius RENNER: Leuchter I (1979), p. 159.

⁷ Cfr Leander BOPP (1954), p. 243; Frumentius RENNER: Leuchter I (1979), p. 159; Leander BOPP: Die ersten fünfzehn Jahre unserer Missionstätigkeit in Ostafrika 1887-1902. St. Ottilien 1956 (typoscriptum), p. 108; Siegfried HERTLEIN: Benediktinische Missionsmethode in Ostafrika. Idee und Wirklichkeit. In: Siegfried HERTLEIN / Remigius RUDMANN (edd.): Zukunft aus empfangenem Erbe. St. Ottilien 1983, p. 96.

⁸ «Satzungen der Deutschen St. Benediktus-Genossenschaft für ausländische Missionen in St. Ottilien zu Emming (Anerkannter Verein)». - Tamen «societas agnita» vel «societas inscripta» congregatio Ottiliensis neque illo tempore neque annis insequentibus facta est.

⁹ Cfr Leander BOPP (1954), p. 243; Viktor DAMMERTZ: Grundlegung. In: Frumentius RENNER: Leuchter I (1979), p. 345.

Benedicti» exhibebantur.¹⁰ Ceterum his in statutis quadamtenus manifeste apparet domum missionariam Ottiliensem esse monasterium et statuta constitutiones Congregationis Beuronensis sequi patere videtur.¹¹

Ultimis sessionibus Kalendis Octobribus habitis «conventus generalis» finiebatur et iam paucis diebus post P. Maurus Hartmann in Africam revertebatur. Die 12^o m. Oct. a. 1895^o P. Andreas Amrhein copiam statutorum episcopo Augustano Petro von Hötzl ad inspiciendum misit.¹² Videtur autem eodem tempore ipsa statuta ad régimen quōque misisse.¹³ Tamen magistratūs Landsbergenses totam rem non tractatam (et eā de causā etiam non approbatam) remiserunt, quia quaedam testimonia necessaria deerant.¹⁴ Cum autem P. Andreas Amrhein paulo post Romam profectus esset et denique etiam munere se abdicavisset, hac quōque vice quoad statuta officialiter comprobanda non iam quicquam factum est.

2.3.6. De difficultatibus

2.3.6.1. De opprobriis prolatis

Etiam si foundationis Ottiliensis progressus internus externusque manifestus erat, tamen decursū annorum iterum iterumque opprobria prolata sunt, quae imprimis ad praepositos domūs missionariae spectabant. Illa vero opprobria partim certe sine causā verā, sed ex scopis privatis prolata sunt, sed alterā ex parte praesertim inde ex anno 1890^o diffidentia quaedam erga superiorem generalem exorta esse videtur, quae tamen habuit fundamentum in re.

¹⁰ Viktor DAMMERTZ: Grundlegung. In: Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 345 - aliter ac Leander BOPP (1954), p. 243 - scribit de statutis sororum in conventū generali non esse disputatum neque eadem votis lata esse.

¹¹ Cfr Viktor DAMMERTZ: Grundlegung. In: Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), pp. 345 sq., qui etiam quaedam exempla ad hanc rem confirmandam affert. Nam praeter alia etiam formula, quā sodalis ad societatem Ottiliensem se adiunxit, maximam similitudinem cum formula professionis Beuronensis habuit.

¹² Cfr Viktor DAMMERTZ: Grundlegung. In: Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 346.

¹³ Cfr Leander BOPP (1954), p. 243, qui scribit pro hac re testimonia ipsa non iam exstare, sed solum quaedam alia indicia pauca. Ceterum ex responso Landsbergensis tribunalis regionalis, quod ad statuta spectat, apparet eorum textum magistratibus traditum esse.

¹⁴ Velut protocollum ad electionem superioris generalis spectans et testimonium, quo tabellio*, id est notarius publicus*, electionem superioris generalis confirmat. - Cfr Leander BOPP (1954), p. 243.

*) tabelliō, -ōnis m.: COD. Theod. 9,19,1 / notārius (-ī m.) pūblicus: Ronald E. LATHAM: Revised medieval Latin word-list. Oxford 1965, p. 315. - Cfr Christian HELFER: Lexicon Auxiliare. Saraviponti ³1991, p. 399.

Quod iam illo tempore, quo domus missionaria ab Richopago ad Ambingam Ottiliensem translata est, gravia opprobria erga superiorem exhibita sunt, supra commemoravimus,¹⁵ quorum causae atque conexūs ex invidia atque scopo, quo ipsi incepto detrimentum afferretur, explicari possunt.

Sed etiam postea ex opprobriis prolatis difficultates exortae sunt. Sic exempli gratiā ex illis viris atque mulieribus, qui quaeve societati se adiunxerant, iterum iterumque nonnulli sive suā sponte domum missionariam reliquerunt sive variis ex causis dimissi sunt.¹⁶ Quamvis multi nihilominus bonam recollectionem habuerunt atque interdum coniunctionem quandam servaverunt,¹⁷ erant quidam, qui talem repulsam non sustinuerunt atque narrationes malignas exhibuerunt. Quae tamen res numquam vitari potest. Sed «procella» quaedam exorta est ex casu trium mulierum, quae consociationi Ottiliensi se adiunxerant.¹⁸ Nam mense Septembri a. 1888ⁱ tres sorores Caecilia, Anna et Luisa Brandt ut candidatae domum missionariam ingressae sunt. Variis autem ex causis¹⁹ videbatur necessarium esse, ut soror natū maior Caecilia iterum dimitteretur, quam vero soror minima comitari voluit. Quod factum est mense Septembri a. 1889ⁱ. Deinde earum frater Iosephus Brandt in initio anni 1890ⁱ epistulam invectivam ad Ottilianos misit²⁰ questus de sororibus suis male

¹⁵ *Cfr* supra cap. 2.3.1.

¹⁶ Quod non omnes, qui inceptum participare desideraverant, ad hanc rem apti erant, per se intellegitur. Itaque non omnes indole viribusque examinatis retineri potuerunt. Et non solum in ipsā «Regulā Sancti Benedicti» (cap. 58), sed etiam variis in locis «Prospectūs» (*cfr* Andreas AMRHEIN: Prospectus. Das Missionsinstitut und die Missionsgesellschaft von Reichenbach. *In*: Cyrill SCHÄFER (ed.): Der Gründer. P. Andreas Amrhein OSB (1844-1927). Schriften. St. Ottilien 2006, pp. 351 sqq.) atque iam in primis «Constitutionibus» anni 1886ⁱ (ex. gr. § 9, *cfr* Andreas AMRHEIN: Konstitutionen der St. Benediktus-Missionsgesellschaft (1886). *In*: Cyrill SCHÄFER (2006), p. 390) legitur receptionem in consociationem non omni modo esse facilitandam atque tantummodo optimos aptosque accipiendos esse et insuper illos, qui ex aliquibus causis non habiles neque aptos se praestiterunt, dimittendos esse.

¹⁷ *Cfr* ex. gr. Bernita WALTER: Von Gottes Treue getragen. Die Missionsbenediktinerinnen von Tutzing. St. Ottilien 1985, pp. 104 sqq.

¹⁸ *Cfr* Leander BOPP (1954), pp. 227 sqq.; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 198; Bernita WALTER (1985), pp. 103 sq.; Paulus WEISSENBERGER: Abt Plazidus Vogel und die Anfänge der Benediktinerkongregation von St. Ottilien. *In*: Studia Suarzacensia. Würzburger Diözesangeschichtsblätter 25, 1963, pp. 274 sq.

¹⁹ Videtur Caecilia unā ex parte gravi morbo laboravisse, alterā ex parte oboedientiam non revera observavisse. Valetudine aliquatenus restitutā denique domum missa est.

²⁰ Verisimiliter Leander BOPP (1954), p. 228 recte suspicatur Iosephum Brandt, qui recenter uxoratus erat, sorores suas non maritatas in perpetuum domi curare noluisse.

tractatis atque generaliter de condicionibus abominabilibus in domo missionariā vigentibus.²¹ Sed hōc non sufficiebat. Nam īdem similes epistulas mense Maio a. 1890ⁱ ad archiepiscopum Coloniensem et die 22^o m. Sept. a. 1890^o ad cardinalem Iohannem Simeoni illo tempore praefectum Congregationis de Propagandā Fide misit.²² Effectus autem erat in eo, ut cardinalis Simeoni epistolā die 30^o m. Nov. a. 1890^o datā ad Pancratium von Dinkel episcopum Augustanum se converteret eum rogans, ut opprobria prolata investigaret.²³ Episcopus Pancratius statim visitationem suscepit, de quā die 28^o m. Dec. a. 1890^o cardinali rettulit.²⁴ Hac relatione prolixā Pancratius von Dinkel omnia opprobria repudiavit insuper disciplinam ab Ottilianis servatam atque virtutem ab ipsis exhibitam valde laudans. Praeterea aestimationem P.ris Andreae Amrhein inseruit, de quo scripsit haec: «*Non obstante valetudine minus prospera omnes suas vires in regimine domus revera consumit*» et «*eius regimen est non minus accuratissimum et strenuum quam paterna caritate animatum.*»²⁵ De superiorissa autem Catharina Scheins scripsit haec: «*Est virgo, quae gravitate aetatis morumque experientia in tractandis negotiis domesticis necnon in cura aegrotorum exercenda dexteritate artisque ipsius medicinalis peritia se praecipue habilem praestat ac laudabili fervore incrementum instituti promovere satagit; nimiam vero interdum severitatem ac obstinationem in agendo eandem exhibere audivi, attamen confidentia et caritate sibi subditarum fructus hisque sua ipsius vita bonum praebet exem-*

Itaque sorores suas etiam adduxerat, ut bis receptionem in domum missionariam Ottiliensem denuo peterent. Epistula invectiva videtur denique missa esse, cum haec spes esset frustrata.

²¹ Argumenta videtur Iosephus Brandt etiam collegisse ex colloquiis cum Elisabetha Kamphaus (prior Soror Raphaela), quae quōque fuerat sodalis Ottiliensis atque in Africanā regione missionariā operabatur, sed propter valetudinem mancam in patriam remissa est. Eadem deinde aliquando domum missionariam reliquerat. - *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 228; Bernita WALTER (1985), p. 103.

²² *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 228; Bernita WALTER (1985), p. 103; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 275; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 198, qui hōc locō in anno indicando erravisse videtur.

²³ Videtur etiam ipse P. Andreas Amrhein rogavisse, ut officialiter in quaestionem inquireretur, quid haec opprobria Iosephi Brandt valerent. - *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 228.

²⁴ *Cfr* Paulus WEISSENBERGER (1963), pp. 274 sq.

²⁵ Verba originaliter Latina allata secundum Paulum WEISSENBERGER (1963), p. 275.

plum.»²⁶

Ut tota perturbatio finiretur, P. Andreas Amrhein Iosephum Brandt invitaverat, ut ad Sanctam Ottiliam veniret atque condiciones ipse inspiceret. Postquam Iosephus Brandt hōc revera fecit, īdem die 12^o m. Ian. a. 1891^o cardinali Simeoni epistulam scripsit, quā omnia opprobria retraxit.²⁷ Sed mirum in modum īdem Iosephus Brandt die 30^o m. Aug. a. 1891^o iam iterum eadem similiaque opprobria exhibuit epistulam ad Pancratium von Dinkel mittens.²⁸ Episcopus autem Augustanus, qui die 27^o m. Oct. a. 1891^o respondit, singula non respiciens tantummodo affirmavit et se ipsum et totam dioecesim consociationem Ottiliensem maxime aestimare, ibīdem disciplinam bonosque mores valere et se numquam ex sodalibus Ottilianis ipsis questūs audivisse.²⁹ Hōc responsō episcopi haec perturbatio in quietem redacta est. Tamen suspicio quaedam atque diffidentia etiam Romae exortae erant, quae aliis rebus factis atque P.ris Andreae Amrhein modo se gerendi decursū temporis auctae sunt.

Nam unā ex parte videntur episcopi Germaniae quadamtenus offensi fuisse, quod P. Andreas Amrhein contactum cum ipsis non quaesiverat, praesertim cum ageretur de Germanico centrali instituto missionario,³⁰ sed etiam cum respicerentur relationes generales atque quaestiones cooperandi.³¹ Cur P. Andreas Amrhein talem distantiam servaverit, pro certo nescitur, cum meliore communicatione cum episcopis Germaniae foundationi suae emolumenta praebere potuisset. - Alterā ex parte relationes quōque cum Vaticano eiusque

²⁶ Verba originaliter Latina allata secundum Paulum WEISSENBERGER (1963), p. 275. - Quamvis haec existimatio Catharinae Scheins sit vere positiva, tamen quaedam eius vitia (etiamsi solum leviter) tanguntur, quibus decursū temporis mali eventūs provocati sunt. De hac re fusius *vide infra*.

²⁷ *Cfr* Leander BOPP (1954), pp. 228 sq.; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 198; Bernita WALTER (1985), p. 103.

²⁸ Verisimiliter haec opprobria ab Iosepho Brandt iterata sunt, quia P. Andreas Amrhein consultationibus habitis etiam tertiam sororem dimittere decreverat, cum putaret hunc in modum se finem querelarum facere posse.

²⁹ *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 229. Paulus WEISSENBERGER (1963), pp. 280 sq. et Bernita WALTER (1985), pp. 103 sq. verba Theodisca ex epistulā episcopi deprompta afferunt. - Tamen Ottiliani ipsi ex solidaritate internā certe apud episcopum non multum de quibusdam condicionibus, quae eis quōque non ita placuerunt, questi sunt. Nam iam illo tempore quidam aspectūs in P.ris Andreae Amrhein modo agendi et imprimis regimen superiorissae fratribus atque sororibus curas praebuerunt.

³⁰ De hac re *cfr* supra cap. 2.3.5.3.

³¹ *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 230; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), pp. 200 sq.

Congregatione de Propagandā Fide paulatim paulo frigidiores factae sunt, id quod partim verisimiliter etiam cohaerebat cum condicione, quā decursū temporis alii homines ibīdem responsales facti sunt, quibuscum P. Andreas Amrhein agere debuit et qui eundem eiusque inceptum non tam bene noverant.³² Tamen praepositis ecclesiasticis non ita placere potuit P. rem Andream Amrhein mandata, quibus ipse assensus erat, quadamtenus neglegenter atque retardato modo explevisse.³³

Videntur etiam aliae quaerimoniae ad Vaticanum prolatae esse,³⁴ inter quas quōque erat frequentia itinerum, quae P. Andreas Amrhein suscepit. Tamen ipsi Ottiliani decursū annorum non gaudenter percipiebant superiorem suum tam saepe abesse. Nam quamvis bene intellegatur quaedam itinera (praesertim Romana, Monacensia, Augustana) necessaria fuisse, ut fundatio institui atque stabiliri posset, nihilominus numerus itinerum (etiamsi interdum brevium) est satis magnus.³⁵

³² Cfr Leander BOPP (1954), pp. 230 sqq.; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), pp. 197 sqq.; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 281. - Ceterum quibusdam ex causis etiam P. Andreas Amrhein et nuntius apostolicus Monacensis Andreas Aiuti coniunctionem personalem non ita bonam habuerunt.

³³ Hoc opprobrium spectabat praeter alia ad administrationem domūs missionariae atque ad relationes scriptas, quas Andreas Amrhein regulariter Romam mittere debuit, et ad postulationem, quā Ottilienses societates virorum atque mulierum strictius essent separandae. - Quod attinet ad condicionem, quā quidam aspectūs administrationis, qui ad ipsum P. rem Andream Amrhein ut superiorem generalem pertinebant, neglegenter respiciebantur, testimonia plura in commercio epistulari inter nuntium apostolicum Andream Aiuti atque P. rem Andream Amrhein permutato inveniuntur (cfr ASO, A.2.1.4). Significans est exempli gratiā postscriptum epistulae die 9^o m. Iul. a. 1894^o ad P. rem Andream Amrhein datae, ubi leguntur haec: «*Precor ne nimium differas responsionem hisce meis litteris*». (Verba originaliter Latina). Etiam variae epistulae nuntii apostolici exstant, quibus monuit relationes scriptas esse mittendas vel rogavit, ut superior generalis Monacum veniret, cum de relationibus urgenter colloquia essent instituenda.

³⁴ P. Andreas Amrhein ipse putaverat imprimis Patres Albos (sed etiam Patres Spiritūs Sancti) fallaciis atque consiliis dolosis famam ipsius atque congregationis Ottiliensis detrectare conatos esse. Quid hac in re realitati attribuendum sit vel fortasse partim praeiudiciis P. ris Andreae Amrhein atque sensū, quo putavit se persecutionem pati, non pro certo constat. - Cfr ex. gr. Andreas Amrhein: Anfänge und Kämpfe eines Missionsberufes. Dritter Teil (1885-1887). In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 149 adn. a. - Cfr etiam Leander BOPP (1954), p. 233; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), pp. 198 sq.; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 285.

³⁵ Cfr Leander BOPP (1954), pp. 230 sqq.; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 192; ex descriptione rerum, quas Paulus WEISSENBERGER (1963), pp. 281 sqq. exhibet,

Praeter illas res, quae ex parte exteriori P.ri Andreae Amrhein eiusque modo, quo foundationem suam administravit, opprobrio datae sunt, etiam ipsi Ottiliani quasdam condiciones critice aspexerunt, velut eius ducendi modum, quo ipse aliter egit ac ab aliis postulavit, et eius modum, quo magis magisque ex communitate se retraxit, eius instabilitatem, quae appellari potest et quā ex maximā actuositate in lethargiam quandam incidit.³⁶ Ex his omnibus aliisque condicionibus inter se cohaerentibus in fine anni 1895ⁱ accidit, ut fundatio Ottiliensis in maximam crisim intruderetur.

2.3.6.2. De muneris abdicatione superiorissae sororum

Catharina Scheins, superiorissa sororum, mulier indolis mirae fuisse videtur, id quod in hac relatione rerum interdum iam apparuit. Ab initio, quo éadem domui missionariae se adiunxerat, difficultates quaedam et cum sororibus et cum fratribus quōque exortae sunt. Quae condicio decursū annorum peiorata est. Imprimis multi questi sunt de eius cupiditate dominandi et de eius violentiā. Praesertim scilicet sorores multa passae sunt, quā de causā certe etiam plures candidatae domum missionariam iterum reliquerunt. Videtur Catharina Scheins revera etiam in régimen totius congregationis se immiscere conata esse. Etiam erga fratres saepe se gessit tamquam eorum quōque praeposita esset.³⁷ Sed etiam generaliter Catharina Scheins cum multis hominibus rixas

etiam apparet P.rem Andream Amrhein saepius in itinere fuisse. - Scitū dignus est index, quem Leander BOPP (1954), pp. 230 sqq. ex epistulis P.ri Andreae Amrhein atque ex Annalibus Ottiliensibus composuit et quo itinera superioris generalis enumerantur unā cum indicio dierum atque locorum commorationis. Ex hōc indice apparet eundem inter annos 1883^{um} et 1895^{um} centum sedecim itinera fecisse, ex quibus novem Romam eum duxerunt. Ex adnotationibus autem, quas scriptor Annalium itineribus anni 1895ⁱ interdum subiunxit, animadvertitur Ottilianis quōque hunc modum agendi non iam revera placuisse.

³⁶ Tamen haec condicio cum eius indole propriā cohaerere videtur. De hac re paulo fusius *vide infra*.

³⁷ Multae res de superiorissae modo se gerendi traduntur. Verbi gratiā refertur eam ipsam sorores saepe alapis tractavisse, eam sorores quasdam, quae muneribus quibusdam iam bene functae erant, ex invidiā amovendas eiciendasque curavisse, cum timeret, ne ipsa in munere superiorissae substitueretur; refertur eam interdum fratres ab sororibus robustioribus verberandos curavisse; traditur eam, cum puer nigrita quidam vitā functus esset atque fratres in coemeterio sepulcrum iam praeparavissent, noctu atque clam illud sepulcrum claudendum atque alio loco aliud sepulcrum fodendum curavisse. Et sic porro. Ipsi fratres Ottiliani superiorissam omnino non aestimaverunt et eam modo magis ironico appellare solebant «Reverendam» [*«die Ehrwürdige»*]. - *Cfr* Leander BOPP (1954), pp. 237 sq.; Frumentius RENNER: *Leuchter I* (1979), pp. 204 sqq.; Bernita WALTER (1985), pp. 150 sqq.

habuit, quae condicio etiam circumcirca monasterium Ottiliense paulatim erat nota. Ipse episcopus Augustanus Pancratius von Dinkel, de cuius benignitate erga Ottilianos omnino non est dubitandum, in testimonio quodam scripsit se «*nimiam vero interdum severitatem ac obstinationem in agendo eandem exhibere*» audivisse.³⁸

Accessit autem, quod superiorissae vires corporales decursū annorum minutae sunt atque eadem variis morbis laboravit. Hunc in modum vitia eius indolis aucta sunt et eadem magis violenta, suspiciosa, rixosa atque depressiva facta est.³⁹

Condiciones ergo paulatim non iam erant sustentabiles et aliquid faciendum erat. Iam ex aliquo spatio temporis postulabatur Catharinam Scheins ex munere suo esse amovendam.⁴⁰ Tamen P. Andreas Amrhein, cuius officium agendi hac in re fuisset, diu se abstinuit neque satis mature difficultatibus firmiter occurrit.⁴¹ Causa huius indulgentiae dicitur in eo fuisse, quod P. Andreas Amrhein erga Catharinam Scheins libertatem suam internam amiserat atque dependentiam quandam sensisse videtur.⁴²

Tamen P. Andreas Amrhein denique aliquatenus agere coepit. Nam die 18^o m. Maii a. 1895^o superiorissam adduxerat, ut ab munere suo se abdicaret.⁴³ Haec res sororibus statim nuntiabatur et ab sororibus in regione missionariā operantibus postulabatur, ut vota sua ad novam superiorissam eligendam

³⁸ Cfr supra cap. 2.3.6.1., p. 39.

³⁹ Cfr Leander BOPP (1954), p. 238; Bernita WALTER (1985), p. 150. - Nonnulli autem suspicantur eam animum affectum solum finxisse, ut ipsa cautius tractaretur atque ansam dominandi haberet.

⁴⁰ Cfr Leander BOPP (1954), p. 237.

⁴¹ Videtur P. Andreas Amrhein superiorissae iam anno 1891^o dixisse ei hunc in modum agere pergere non licere, sed sine ullo effectū in re. - Cfr Bernita WALTER (1985), p. 152; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 206.

⁴² Cfr Leander BOPP (1954), p. 237; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 206; Bernita WALTER (1985), p. 152. - Leander BOPP (1954), p. 239 refert P. rem Andream Amrhein ipsum tres causas protulisse, cur hac in re nihil fecisset. Nam unā ex parte Catharinam Scheins omnes vires suas in fundatione instituendā consumpsisse et eam amovere actionem ingratis esse; alterā ex parte, cum ea amoveretur, timendum esse, ne plena aegrotatio animi efficeretur; denique consociationem ius personae iuridicae collegialis nondum habuisse atque bona societatis sororum inscripta esse sub nomine superiorissae, quā de causā prohibendum esse, ne eadem in statum animi incideret, quo actus iuridicus fieri non iam posset.

⁴³ Cfr Leander BOPP (1954), p. 239; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 206; Bernita WALTER (1985), p. 152.

statim superiori generali mitterent. Nihilominus quaedam res hōc in conexū manent mirae. Nam unā ex parte de hac abdicatione superiorissae episcopo Augustano - ut necessarium fuisset - nihil indicabatur, alterā ex parte ipsa Catharina Scheins videtur etiam post hanc «abdicationem» munere adhuc functa esse.⁴⁴ Sed hunc in modum condiciones non sunt melioratae.

Plura autem facere P. Andreas Amrhein ipse non est ausus. Expectavit vero adventum P.ris Mauri Hartmann, quem ex regione missionariā ad «conventum generalem» praeparandum revocaverat. Postquam P. Maurus die 27^o m. Iun. a. 1895^o in monasterium Ottiliense advēnit et die 31^o m. Iul. a. 1895^o ab P.re Andreā Amrhein superior generalis vicegerens factus est, eidem etiam iniunctum est, ut hanc «rem iniucundam ad finem adduceret».⁴⁵ Quomodo hōc convenienter faceret, ei relictum est.

Num P. Maurus Hartmann statim in hōc problema solvendum incubuerit, nescitur. Nam demum in initio mensis Septembris a. 1895ⁱ iterum progressus quidam hac in re factus est. Die enim 2^o m. Sept. a. 1895^o in conventū sororum vehementes dissensiones exortae sunt,⁴⁶ quā de causā Catharina Scheins suā sponte atque secundum arbitrium suum novam superiorissam instituere voluit. Hōc quidem sorores non iam passae sunt et P.rem Maurum Hartmann rogaverunt, ut tandem ordinem iterum restitueret. Itaque P. Maurus Hartmann et P. Bernvardus Baule, qui confessarius sororum erat, proximo die ad episcopum Augustanum Petrum von Hötzl se contulerunt eum rogantes, ut in superiorissā deponendā auxilium ferret.⁴⁷ Die 4^o m. Sept. a. 1895^o episcopus iam advēnit et die 5^o m. Sept. a. 1895^o visitationem in monasterio sororum

⁴⁴ *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 239; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 207; Bernita WALTER (1985), p. 152. - Videtur etiam in consociatione virorum praeter P.rem Maurum Hartmann et P.rem Bernvardum Baule nemo quicquam de hac muneris abdicatione superiorissae scivisse.

⁴⁵ *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 239; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 207; Bernita WALTER (1985), p. 152.

⁴⁶ De causā harum dissensionum nihil traditur.

⁴⁷ *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 240; Bernita WALTER (1985), p. 153; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), pp. 207 sq., qui ad hunc conexum explicandum etiam textum Annalium Ottiliensium affert. Ceterum ibidem sub die 3^o m. Sept. a. 1895^o praeter alia legitur Catharinam Scheins meridie eiusdem diei ut possestrīx hospitii idem clausisse, ita ut operarii atque hospites ibidem habitantes in ipsum monasterium virorum recipi deberent. Ex hac brevi adnotatione quōque Catharinae Scheins modus se gerendi manifestatur. Ibidem etiam refertur Catharinam Scheins die 4^o m. Sept. a. 1895^o apud episcopum apparuisse, qui tamen eam non auscultavit, sed annuntiavit se eodem die ad Sanctam Ottiliam venturum esse.

exhibuit. Ex interrogatione uniuscuiusque sororis apparuit omnes praeter unam contra superiorissam locutas esse. In fine ipsa superiorissa ab episcopo audita est, qui ei suasit, ut suā sponte ab munere se abdicaret, quia aliter ipse eam deponeret.⁴⁸ Itaque ipsa renuntiavit.

Conditio autem calamitosa, quae in monasterio sororum diu vigerat, episcopo adiuvante tandem ad bonum finem adducta est. P. Maurus Hartmann die 7^o m. Sept. a. 1895^o Monacum vectus est, ut P. rem Andream Amrhein, qui illo tempore ibidem versabatur, de rebus actis certiores faceret.⁴⁹ Sed quaestio exoritur, quid P. Andreas Amrhein Monaci fecerit, cum in monasterio sororum, de quibus responsalitem quōque habuit, de magno discrimine ageretur. Suspiciendum autem est eum consulto se subtraxisse, ne condicione sibi iniucundā, cui se parem praestare non valuit, tangeretur. Nam nuntiis acceptis statim ad Sanctam Ottiliam revertit. Tunc idem colloquium diuturnum cum superiorissā depositā habuit, de cuius vero argumentis nihil scitur.

Munere superiorissae amisso Catharina Scheins ab consociatione Ottiliensi omnino discessit.⁵⁰ Die 9^o m. Sept. a. 1895^o postmeridiano tempore profecta

⁴⁸ *Cfr* Bernita WALTER (1985), p. 153; Ruth SCHÖNENBERGER: St. Ottilien und Tutzing - getrennt verbunden. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.): Beständigkeit und Sendung. St. Ottilien 2003, p. 195; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), pp. 207 sq.; Leander BOPP (1954), p. 240, qui etiam interrogat, cur Catharina Scheins in colloquio cum episcopo habito nihil de muneris abdicatione mensis Maii commemoraverit. - Ceterum etiam Cyrillus Wehrmeister, qui illo tempore adhuc in novitiatū erat, in «recordationibus» suis (anno 1920^o conscriptis atque in archivo Ottiliensi ut typoscriptum asservatis (ASO, A.1.8.1)) de depositione superiorissae breviter refert.

⁴⁹ *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 241; Bernita WALTER (1985), p. 153. - Ex indice P. ris Andreae Amrhein itinerum, quem Leander BOPP (1954) composuit, p. 232 apparet eundem usque ad diem 7^{um} m. Sept. a. 1895^o Monaci fuisse, sed initium huius commorationis signo interrogativo indicatur.

⁵⁰ Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 209 putat rebus sic stantibus nihil aliud relictum esse. - Sed alia res mira hōc in conexū est nullo loco legi Catharinam Scheins ab votis dispensatam esse. Hōc tamen congruit cum aliis indiciis, quibus significatur eam numquam vota monastica professa esse. - *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 106; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 209; Bernita WALTER (1985), p. 49 adn. 17, quae quōque concludit addubitari posse Catharinae Scheins statum superiorissae sine professione legitimum fuisse.

est⁵¹ et P. Andreas Amrhein eam Tutzingam comitatus est. Meridie autem



Birgitta Korff.
[Bernita WALTER (1985), p. 255.]

eiusdem diei horreum sororum recenter aedificatum unā cum messe atque machinis incendio deletum est. Quod attinet ad Catharinae Scheins aestimationem illo tempore ubique vigentem, significans est rumor, qui statim intra monasterium et etiam extra idem exortus est, nempe eam ipsam ignem accendisse, ut pro munere amisso ulcisceretur.⁵² Investigatores autem officiales defectum alicuius fornicis fuisse in causā dixerunt.

Episcopus Petrus von Hötzl Catharinā Scheins amotā Elisabetham Mösl instituit vicariam et diem, quo nova superiorissa eligeretur, constituit 17^{um} m. Sept. a. 1895^o. His suffragiis⁵³ unanimiter electa est Birgitta Korff, quae illo tempore stationi in Africano loco Lukuledi sitae

praeerat.⁵⁴ Sed eadem, cum solum viginti septem annos haberet, canonicam

⁵¹ Bis autem Catharina Scheins ad Sanctam Ottiliam breviter revertit, nempe mense Octobri a. 1895ⁱ et mense Februario a. 1896ⁱ, ut omnes res suas vel sibi concessas secum sumeret (quae videntur satis multae fuisse). Transmigravit deinde Romam, ubi anno 1937^o vitā functā est. - *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 242; Bernita WALTER (1985), pp. 153 sq.

⁵² Iam in Annalibus Ottiliensibus anni 1895ⁱ ille rumor commemoratur, qui etiam in populo circumcirca habitante prolatus est. Calamitas incendii eo maior erat, quia tantummodo aedificium ipsum assecuratione tutum erat. - *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 241; Frumentius RENNER: *Leuchter I* (1979), p. 210; Bernita WALTER (1985), p. 153; Maria HILDEBRANDT: *Lebendige Steine. St. Ottilien 2008*, p. 288; Cyrill WEHRMEISTER: *Erinnerungen* (Typoscriptum 1920), p. 27 (ASO, A.1.8.1), qui etiam commemorat apud fratres quōque statim de ultione Catharinae Scheins sermonem fuisse.

⁵³ Suffragia ex Africanā regione missionariā P.re Andreā Amrhein iubente iam aestate eiusdem anni allata erant.

⁵⁴ De electione et de Birgitta Korff *cfr* Leander BOPP (1954), p. 241; Frumentius RENNER: *Leuchter I* (1979), p. 209; Bernita WALTER (1985), p. 154; Bernita WALTER: *Missionsbenediktinerinnen von Tutzing 1888-1960. Tutzing 1960*, p. 6; Irmengard BACHEM: *Mutter M. Birgitta Korff OSB. Erste Generaloberin der Missions-Benediktinerinnen von Tutzing. Ein Bild ihres Lebens, Wirkens und Wesens. München*

aetatem pro tali munere postulatam minimum triginta annorum nondum expleverat. Itaque dispensatione indigebat, quam quidem episcopus Augustanus statim praebuit.⁵⁵ Birgitta Korff ab superiore generali ex Africa revocata tempore Natalicio a. 1895ⁱ domum pervēnit et die 30^o m. Ian. a. 1896^o ab P.re Bernvardo Baule licentiā episcopi instructo ut prima priorissa electa in munus suum introducta est.

2.3.6.3. De muneris abdicatione P.ris Andreae Amrhein

Post discessum Catharinae Scheins perturbationes Ottilienses nondum erant finitae, immo per aliquod spatium temporis maiorabantur. Quid autem factum est?

Non diu post finem «conventūs generalis» P. Andreas Amrhein iter Romanum suscipere voluit, quod faciendum iam pridem in animo habuerat.⁵⁶ Itaque die 24^o m. Oct. a. 1895^o profectionem praeparavit. Quae res per se non erat tam extraordinaria, cum ĩdem saepius esset in itinere et hōc iter Romanum iam esset eius nonum. Tamen videtur condicio illius diei partim paulo alia fuisse. Nam P. Andreas Amrhein bene mane monachis instructionem longam praebuit, quae propter argumenta praesentibus tam mira videbatur, ut steno-graphice retenta etiam in Annales recepta esset. ĩdem enim non solum de officiis religiosorum locutus est, sed etiam vehementer monuit, ut propriis viribus diffiderent, superbiam, voluptatem carnalem inimicumque malum caverent. Imprimis virtutem castitatis valde commendavit, vitia vitanda praemonuit. In fine instructionis P. Andreas Amrhein significavit se diutius non esse adfuturum.⁵⁷

1938, pp. 58 sqq. - Birgitta (Gertrudis) Korff die 25^o m. Ian. a. 1868^o Mulhemio nata est, die 2^o m. Aug. a. 1889^o monasterium Ottiliense ingressa est, die 26^o m. Iun. a. 1892^o professionem exhibuit, Kal. Iun. a. 1894^o in Africam missa est, inde ab die 17^o m. Sept. a. 1895^o erat priorissa sororum monasterii Ottiliensis, munere functa est usque ad diem 18^o m. Dec. a. 1920^o, quo libere resignavit, vitā functā est die 21^o m. Maii a. 1929^o Tutzingae.

⁵⁵ Cfr Leander BOPP (1954), p. 241; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 209; Bernita WALTER (1985), p. 154; Ruth SCHÖNENBERGER (2008), p. 195.

⁵⁶ Leander BOPP (1954), p. 245 refert P.rem Andream Amrhein medio mense Septembri Romam proficisci in animo habuisse, ubi usque ad festum Natalicium manere voluit. Tamen hac in re aliquid mirum est, cum illo tempore «conventus generalis» praeparatum sit, qui ultimā septimanā m. Sept. a. 1895^o institueretur.

⁵⁷ Cfr Leander BOPP (1954), pp. 245 sq.; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 185; Bernita WALTER (1985), p. 154; etiam Cyrillus WEHRMEISTER in «Recordationibus» suis («Erinnerungen»), p. 27 (ASO, A.1.8.1) hanc instructionem et imprimis monitionem castitatis miranter commemorat.

Deinde - ut normaliter fieri solebat- res quasdam pro tempore absentiae suae ordinavit.⁵⁸ Praeter alia illo die 24^o m. Oct. a. 1895^o P.rem Bernvardum Baule superiorem monasterii virorum reddidit.⁵⁹ Ipse autem régime totius conso- ciationis retinere voluit. Meridie illius diei P. Andreas Amrhein F.re Amando Heinze comitante Sanctam Ottiliam reliquit Romam petiturus.⁶⁰

Deinde per aliquod spatium temporis domi nihil ab superiore generali audie- batur. Tunc in fine mensis Nov. a. 1895ⁱ allata est epistula P.ris Cassiani Spiss Romae commorantis,⁶¹ quā Ottiliani compererunt P.rem Andream Amrhein perpetuo Romae domicilium collocatum esse et sedem superioria- tūs generalis Romam translatum iri. Etiam clericis theologiae studentibus ab anno insequenti Romam transmigrandum esse, ut unā cum P.re Andream Amrhein ibīdem monasteriolum instituerent.⁶² Praeterea multas res mittendas mandavit.⁶³

⁵⁸ Sic ex. gr. in concameratione turris archivum instituit, cassam cellerario tradidit, nonnulla munera distribuit. - *Cfr* Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 185.

⁵⁹ Ut Leander BOPP (1954), p. 245 adnotat, P. Bernvardus Baule iam in initio anni 1895ⁱ prior atque superior virorum factus erat et mense Maio a. 1895ⁱ idem superior generalis vicegerens appellatur. Sed cum P. Maurus Hartmann mense Iunio a. 1895ⁱ ad res quasdam ordinandas et propter «conventum generalem» domum reverteretur, P. Andreas Amrhein eundem ad tempus eius commorationis superiorem generalem vicegerentem reddidit. Die autem 9^o m. Oct. a. 1895^o P. Maurus Hartmann denuo in Africam profectus erat. - *Cfr* Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 292 adn. 74; Hartmut MADL (1999), p. 63.

⁶⁰ Ut Bernita WALTER (1985), p. 154 ad verba recurrens, quae P. Andreas Amrhein postea de illo tempore protulit, scribit, idem iam in proficiscendo prope collapsum nervorum fuit. - *Cfr* etiam Hartmut MADL (1999), p. 61.

⁶¹ P. Andreas Amrhein P.rem Cassianum Spiss ex Africa domum sive Romam revocavit, ut ipsum in propositis eius adjuvaret. Videtur paucis diebus ante epistolam missam P. Cassianus Spiss Romam advenisse. - *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 246 (qui p. 245 etiam scribit Cassianum Spiss unā cum F.re Michaele Hofer iam die 23^o m. Sept. a. 1895^o revocatum esse); Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), pp. 185 sq.

⁶² *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 246; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 185; Frumentius RENNERT: Die Benediktinerkongregation von St. Ottilien. In: Ulrich FAUST / Franz QUARTAL (edd.): Germania Benedictina. I. St. Ottilien 1999, p. 801 quidem scribit P.rem Andream Amrhein in fine revera superioratum generalem Romae instituisse, sed putandum est hanc deliberationem sive hoc desiderium non ad verum effectum adductum esse.

⁶³ Tot res mittendas iussit P. Andreas Amrhein, ut totus currus ferriviarius expleretur. Praeter alia etiam novum altare ex cappella sororum petivit, quod in «futura cappella abbatis» poneretur.

Die autem 21^o m. Dec. a. 1895^o allata est longa proluxaque epistula ipsius P. ris Andreae Amrhein, quā de consiliis propositisque suis narrat.⁶⁴ Tamen etiam hac in epistulā quaedam res sunt mirae. Nam primo litterae non erant directae ad Ottilianos universos vel ad eorum superiorem, sed ad F. rem Thomam Spreiter, qui illo tempore erat senior clericorum Dillingae studentium. Nihilominus cum consilia ibīdem relata ad totam consociationem pertinerent, omnibus sodalibus epistula erat quidem praelegenda, sed eis de his rebus disputare non licuit.⁶⁵

Erat autem epistula valde euphorica, quā P. Andreas Amrhein praeter alia longe lateque de colloquio rettulit, quod cum Benedictinorum abbate primate Hildebrando de Hemptinne Romae habuit.⁶⁶ Narrat enim abbatem primatem proposuisse, ut consociatio Ottiliensis sub fundamento propriarum constitutionum reservato munere missionario in Confoederationem omnium congregationum Benedictinarum assumeretur. Praeterea eundem consilium dedisse, ut Ottiliani studenti philosophiae theologiaeque in Benedictino collegio Sancti Anselmi Romae sito studia sua peragerent. Denique cum sermo fieret de difficultatibus, quae ex legibus Bavaricis exorirentur, eundem dixisse abbatiam extra Bavariam esse condendam et se iam curaturum esse, ut P. Andreas Amrhein abbas infulatus⁶⁷ fieret. Bonum vero esse talem abbatiam in Aegypto condere, cum ille locus quadamtenus inter patriam et regionem missionariam situs esset atque bonas quōque condiciones pro missionariis aegrotantibus praeberet. His omnibus consiliis et propositis abbatem primatem deliberationes atque vota ipsius P. ris Andreae Amrhein praesumpsisse, tamquam eius cogitationes in mente legisset.

Haec de argumentis epistulae hactenus. Quamvis tota epistula prorsus fuerit positiva, optimismo plena atque fortes actiones futuras monstrare videatur,

⁶⁴ Cfr Leander BOPP (1954), p. 246; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 186; Bernita WALTER (1985), p. 154.

⁶⁵ «... non ut de hac re in utramque partem disputarent, id quod omnino non esset monasticum, sed ut confidentiā ductūs divini ... magis magisque confirmarentur.» - Verba originaliter Theodisca allata secundum Frumentium RENNERT: Leuchter I (1979), p. 187.

⁶⁶ Argumenta huius epistulae, quae in Annalibus Ottiliensibus descripta invenītur, affert Leander BOPP (1954), p. 247; partes vero ipsius textūs ex epistulā depromptas exhibet Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), pp. 187 sqq.

⁶⁷ abbas infulatus* est superior alicuius congregationis monasterialis, qui insignibus pontificalibus (id est mitrā, baculo pastorali, anulo, pectorali) instructus est.
*) infula, -ae f.: i. q. mitra. - Cfr Albert SLEUMER: Kirchenlateinisches Wörterbuch. Limburg 1926, p. 424.

tamen interrogandum est, quantopere hae omnes narrationes realitati con-
venerint. Certe P. Andreas Amrhein abbatem primatem Hildebrandum de
Hemptinne ex tempore Beuronensi atque Maretiolensi bene noverat (fortasse
etiam amicitia quādam coniuncti erant). Certe P. Andreas Amrhein, cum illo
tempore Romae versaretur, abbatem primatem saepius visitavit atque collo-
quia cum ipso habuit, sed dubitandum est, utrum Hildebrandus de Hemptinne
haec omnia, quae P. Andreas Amrhein rettulit, protulerit an verba P. ris An-
dreae Amrhein potius ex eius propriis votis desiderisque atque ex eius
phantasia provenerint.⁶⁸

Ottiliani autem ipsi de hac epistolā non nimis gavisī erant. Nam unā ex parte
eis displicuit, quod litterae ad solum F. rem Thomam Spreiter directae erant,
alterā ex parte illud consilium foundationis Aegyptiacae, quod non erat no-
vum, eis displicuit, quia subsidia neque pecuniaria neque hominum ad tale
inceptum suffecerunt. Sed videtur P. Andreas Amrhein Romae impulsū
actuositatis habuisse, qui tamen non diu durabat.⁶⁹

Brevissimo enim tempore post aliquid accidit, quo tota consociatio in mag-
nam perturbationem atque magnas difficultates protrudebatur. Nam die 28^o
m. Dec. a. 1895^o duo telegrammata ab P. re Andrea Amrhein missa et ad
P. rem Bernvardum Baule directā ex urbe Romā allata sunt, quae die inse-
quenti P. ri Bernvardo ex itinere redito tradita sunt.⁷⁰ Primo telegrammate P.
Andreas Amrhein annuntiavit se in Aegyptum profecturum esse, ubi locum
abbatiae aptum quaereret, et indicavit P. rem Cassianum Spiss esse interea
superiorem generalem vicegerentem.⁷¹ Altero autem telegrammate insimul

⁶⁸ Cum hac dubitatione etiam congruit sententia deprompta ex epistolā quādam, quam
Hildebrandus de Hemptinne ad archiabbatem Beuronensem Maurum Wolter direxerat.
Ibidem enim scripsit haec: «D.A. [= Dom. Andreas sive Dom. Amrhein] *iterum Romae
est et semper somniat de novo incepto.*» (Textus originaliter Francogallicus). - Cfr
Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 186 adn. 217.

⁶⁹ Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), pp. 375 sq. P. ris Andreae Amrhein modum
agendi, etiamsi realitati non convenientem, sub aspectū consilii episcoporum Bavariae
explicare conatur, quo iidem domum missionariam Ottiliensem episcopatus Bavarico
subdere voluerunt. Cum anno 1895^o novus episcopus Augustanus denique de hac re
deliberare inciperet, P. Andreas Amrhein - ut Frumentius Renner putat - fortasse
speravit fore, ut consiliis suis propriis difficultates vitare vel superare posset.

⁷⁰ P. Bernvardus diebus anterioribus Tutzingae versabatur, cum esset confessarius
sororum Tutzingensium.

⁷¹ Cfr Leander BOPP (1954), p. 249; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 213. -
Utrumque telegramma in Annalibus diei 29ⁱ m. Dec. a. 1895ⁱ commemoratur, sed
ibidem tantummodo ea indicantur, quae in primo telegrammate legebantur. Praeterea

misso P. Andreas Amrhein indicavit se munus suum deponere, se ab munere resignare.⁷²

Res per se iam erat perturbans. Cur P. Andreas Amrhein duo telegrammata misit? Cur nuntios contradictorios misit? Nam is, qui tale iter ad novam abbatiam condendam suscepturus est, de munere se non abdicat; alterā ex parte is, qui munus deposuit, foundationem tam magni momenti sine mandato instituere non potest. Praeterea quaestio exoritur, cur omnino resignaverit, postquam unā septimanā antea epistulam scripsit, quae spe erat plena et quae actionismo abundavit. Accideratne interea Romae aliquid grave an solum agebatur de quādam instabilitate animi P.ris Andreae Amrhein? Revera nescitur, quamvis deliberationes hac in re et ab contemporaneis et ab posterioribus prolatae sint.⁷³

Tamen res magis perturbatae sunt modo agendi P.ris Bernvardi Baule. Nam īdem telegramma, quo resignatio P.ris Andreae Amrhein continebatur, reticuit et confratribus de hac re nihil narravit. Cur hunc in modum egerit, pro certo nescitur. Postea imprimis P. Andreas Amrhein ei opprobrio dedit eum hōc ex ambitione propriā et sensū honoris laesi fecisse, quia P. Cassianus

commentarium subiunctum est, quo scribebatur sententiam esse inopinatam, non propter ideam, quae non esset nova, sed propter celeritatem, quā consilium in ultimā epistulā commemoratum ad effectum adduceretur.

⁷² *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 248; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 214; Bernita WALTER (1985), p. 155; Suso BRECHTER: Beurons Beitrag zur Gründung von St. Ottilien. In: Virgil FIALA (ed.): Beuron. Festschrift zum hundertjährigen Bestehen der Erzabtei St. Martin, Beuron. Beuron 1963, p. 262; Cyrill SCHÄFER: Stella Maris. St. Ottilien 2005, p. 45, ubi per errorem legitur P.rem Andream Amrhein in fine anni 1896ⁱ (loco anni 1895ⁱ) ex improviso resignavisse.

⁷³ *Cfr* ex. gr. Leander BOPP (1954), p. 248; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 214. - Cum deliberemus de hac re contradictoria, interrogari possunt etiam haec: fortasse P. Andreas Amrhein in telegrammate, quod ad resignationem spectabat, denuo verbis non satis claris ea expressit, quae revera voluit (sicut in epistula ad administrum rei culturalis Ludovicum Augustum von Müller directa atque supra commemorata). Suspiciari possumus eum non revera munere se abdicare voluisse, sed tantummodo transitum paulatim faciendum desideravisse, quo secundum voluntatem suam superiorem generalem successorem (sine electione) institueret et tamen vim directoriam adhuc haberet. Estne fortasse ita, ut factis, quae ipse hunc in modum instigaverat, superabatur ea efficiens, quae sic noluerat? Nam non licet oblivisci resignationem illo temporis momento telegraphice tantummodo ad Ottilianos missam esse, sed neque ad episcopum neque ad nuntium apostolicum.

Spiss superior generalis vicegerens institutus esset.⁷⁴

Tamen P.ris Bernvardi modus agendi non solum ex talibus causis, etiamsi verae essent, explicari potest. Nam traditur quōque in illo reditūs itinere diei 29ⁱ m. Decembris P.ri Bernvardo testimonia in manūs incidisse, quibus cognitis manifestabatur P.rem Andream Amrhein munere superioris generalis non iam fungi posse.⁷⁵ Non autem apparet, quid cognoverit, a quo et quomodo aliquid compererit.⁷⁶ Tamen hōc domi narravit atque patribus quaedam indicia, sed non satis clara communicavit.

P. Bernwardus Baule itaque putavit sibi agendum esse.⁷⁷ Num hunc in modum, sicuti fecit, prudenter deliberateque egerit, est alia quaestio.⁷⁸ Nihilominus P. Bernwardus existimavit rem compertam esse tam magni momenti, ut episcopus quōque eandem scire deberet. Eā de causā idem die 2^o m. Ian. a. 1896^o episcopum Augustanum Petrum von Hötzl adiit et omnes querelas suas ei patefecit. Mirum autem in modum episcopus significavit haec omnia sibi non esse nova.⁷⁹ Tamen etiam erga episcopum P. Bernwardus telegramma resignationem continens non commemoravit. Quod factum non est ita intellegibile.

⁷⁴ Cfr Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 214; Leander BOPP (1954), p. 249, qui etiam refert P.rem Bernvardum opprobriis prolatis de causis suis tantummodo tacuisse.

⁷⁵ Cfr Leander BOPP (1954), p. 249; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 215.

⁷⁶ Verisimiliter agitur de rebus quibusdam, quas P. Andreas Amrhein contra regulam et contra vota commisisse videtur. Hoc quadamtenus etiam apparet ex sententiā episcopi postea prolatā (vide infra) et ex adnotationibus, quae in «Recordationibus» Cyrilli Wehrmeister inveniuntur et quae spectant ad perturbatum temporis spatium immediate post resignationem P.ris Andreae Amrhein.

⁷⁷ Suspiciuntur autem quidam eum verbis P.ris Andreae Amrhein, quibus resignationem suam nuntiavit, non esse confisum, quā de causā telegramma reticuisset. - Cfr Leander BOPP (1954), p. 249; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 214; Bernita WALTER (1985), p. 155.

⁷⁸ Ut Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 215 scribit, facilius fuisset, si P. Bernwardus confirmatione nuntii accepti P.rem Andream Amrhein obstrinxisset atque deinde episcopum nuntiumque apostolicum certiores fecisset. Sed P.ri Bernvardo talibus in casibus intricatis deerat experientia.

⁷⁹ Cfr Leander BOPP (1954), pp. 249 sqq; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 215. - Videtur episcopus etiam subiunxisse se exspectavisse muneris abdicationem superiorissae etiam resignationem superioris generalis sequi debere.

P. Bernwardus hōc in colloquio episcopum rogavit, ut P.rem Andreā Amrhein ab munere superioris generalis amoveret. Petrus von Hötzl putavit quidem nova incepta consiliaque P.ris Andreā Amrhein ordinando esse coercenda, sed solus nihil discernere voluit. Itaque P.rem Bernwardum ad apostolicum nuntium Monacensem Andreā Aiuti misit.⁸⁰ Itaque proximo die, id est 3^o m. Ian., unā cum P.re Alfonso Adams Monacum vectus est et ad nuntium apostolicum se convertit. Nuntius vero celeriter quidem agere, nihilominus litteras episcopi expectare voluit. Cum die 4^o m. Ian. a. 1896^o P. Bernwardus denuo apud episcopum appareret, commercium epistulare de hac quaestione inter Petrum von Hötzl et Andreā Aiuti interea iam institutum erat.⁸¹ Cum res esset aliquatenus urgens, episcopus eodem die decreto proprio P.rem Bernwardum Baule superiorem generalem consociationis Ottiliensis ad tempus reddidit.⁸² Decre



P. Bernwardus Baule.

⁸⁰ *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 250; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), pp. 215 sq.; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 292, qui tamen hōc in conexū passim per errorem de nuntio apostolico Agliardi scribit, quamquam eius successor Andreas Aiuti illo tempore munere iam functus est.

⁸¹ Videtur Andreas Aiuti proposuisse, ut episcopus in monasterio Ottiliensis visitationem exhiberet. Tamen hōc videtur P. Bernwardus noluisse, ne oculi hominum ad Ottilianos nimis converterentur. Idem autem visitationem nuntii apostolici praetulerat. Investigatores de tali voto non sine causā mirantur, cum visitatio nuntii apostolici magis conspicua sit quam visitatio episcopi. - *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 250; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 217. - Ceterum videtur Petrus von Hötzl generaliter non malam opinionem de P.re Andreā Amrhein habuisse, quia epistolā ad nuntium apostolicum die 6^o m. Ian. a. 1896^o datā legitur P.rem Amrhein «*magna merita habere circa foundationem et aedificationem domus missionum*» et de Ottilianis Dillingae studentibus scripsit: «*Et sedulitate scientifica et conversatione morali et religiosa optimum praebeant exemplum.*» - Sententiae originaliter Latinae allatae secundum Paulum WEISSENBERGER (1963), p. 292.

⁸² Textum decreti praebent Leander BOPP (1954), p. 250; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 216; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 292. - Hōc decreto constituitur P.rem Bernwardum Baule fore unicum superiorem responsalem consociationis missionariae Ottiliensis, usque dum sive episcopus sive Apostolica Sedes aliter decreverint, atque omnes sodales instituti eius mandatis oboedire debere. - P.rem

to autem in monasterio praelecto omnes Ottiliani - sive gaudenter sive non - se oboedientiam servaturos esse declaraverunt, quamvis totum conexum perspectum non haberent.

Tota autem condicio magis intricata facta est. Nam die 7^o m. Ian. a. 1896^o iussum P.ris Cassiani Spiss, quem ipse P. Andreas Amrhein superiorem generalem vicegerentem instituerat, ad Ottilianos allatum est, quo dicebatur P.ri Alfonso Adams atque quinque sororibus die insequenti in Africam profiscendum esse. Episcopus vero de hac re interrogatus decrevit hoc iussum esse neglegendum. Tamen P.rem Alfonso Romam misit, qui P.rem Andream Amrhein de decretis episcopi instrueret insuper interrogaturus, quid de domūs missionariae bonis opibusque fieret.⁸³

Illo colloquio, quod satis longum fuisse videtur, P. Andreas Amrhein dixit se ex opere suo se recipere velle, dummodo ius personae iuridicae collegialis pro fundatione acquisitum esset et constitutiones ab papa approbatae essent.⁸⁴ Quid autem sub hōc aspectū de sensū sincero resignationis? Ex protocollo memoriali P.ris Alfonsi, quod īdem epistolā die 10^o / 11^o m. Ian. a. 1896^o datā ad Ottilianos miserat,⁸⁵ etiam intellegitur P.ris Andreae Amrhein perceptionem totius condicionis fuisse satis ambiguam, quā monstratur quōque eum quosdam conexūs iuris canonici non omnino perspectos habuisse. Ceterum praeter alia quaedam postulata, quae ad personam suam pertinebant, habuit et, quod attinet ad domūs missionariae bona, iam de donatione inter vivos locutus est, quam tamen tantummodo sub quibusdam condicionibus facere voluit.

Cum P. Andreas Amrhein ab P.re Alfonso etiam comperisset P.rem Bernvar-

Bernvardum ab episcopo superiorem redditum esse etiam commemoravit Cyrillus WEHRMEISTER in «Recordationibus» suis (p. 28 (ASO, A.1.8.1)). Tamen hōc in conexū eius chronologia rerum aliquatenus perturbata est.

⁸³ Cfr Leander BOPP (1954), p. 251; Frumentius RENNER: Leuchter I (1979), p. 218; Paulus WEISSENBURGER (1963), p. 293.

⁸⁴ Cfr Leander BOPP (1954), p. 251; Frumentius RENNER: Leuchter I (1979), p. 218. - Videtur autem P. Andreas Amrhein putavisse fieri posse, ut ipse ius personae iuridicae collegialis pro consociatione Ottiliensi acquireret coniunctione cum Congregatione Beuronensi. Tamen haec spes erat vana, quia et Beuronenses hōc noluerunt et leges Bavaricae huic incepto obstiterunt.

⁸⁵ Frumentius RENNER: Leuchter I (1979), pp. 218 sqq. magnam partem huius textūs exhibet. Ut īdem p. 228 etiam adnotat, P. Andreas Amrhein ipse in margine protocolli Theodisce scripserat haec: «*Enuntiata supra scripta recta esse affirmat salutatione benedictionis P. Andreas A(bbas) t(itularis)*». - Subscripsit ergo illo tempore adhuc titulo, qui numquam ei conveniebat.

dum Baule telegramma resignationem continens reticuisse, id fecit, quod iam pridem facere debuisset, nempe muneris abdicationem officialiter illis indicavit, quibus eadem nuntianda erat. Primus, quem certiorum fecit, erat Monacensis nuntius apostolicus. Eidem die 11^o m. Ian. a. 1896^o telegramma misit,⁸⁶ cuius textus erat hic: «*Repeto declarationem meae resignationis Superioratui iam factam circa Nativitatem Domini sed celatam a Patre Bernardo, quia ego designaveram uti successorem P. Cassianum.*»⁸⁷ Hunc textum aliquatenus perturbatum,⁸⁸ cui insuper nomen subscriptum deerat, nuntius apostolicus Aiuti non prorsus intellexit, quamvis certe imaginari potuisset, quid sibi vellet. Tamen altero telegrammate die insequenti allato res clarior reddita est, cum ibi legerentur haec: «*Auctor telegrammatis anonymi oblivionis causa - Amrhein*».

Die 13^o m. Ian. a. 1896^o P. Andreas Amrhein epistolam longam Francogallice scriptam ad cardinalem Ledochowski praefectum Congregationis de Propagandā Fide direxit, quā similiter muneris abdicationem indicavit.⁸⁹ Hac epistolā, postquam cursum rerum atque condiciones ex aspectū suo enarravit explicuitque, ab cardinale petivit, primo ut idem opus consociationis continuaret teneretque, deinde ut cardinalis episcopo Augustano indicaret, quo modo securo bona domūs missionariae transferri possent, porro ut liberam electionem novi superioris generalis fieri iuberet, denique ut ei concederet, ut tamquam sodalis simplex in fundatione suā viveret vel aliam congregationem quaereret, ubi ultimis diebus suis vitam precum, paenitentiae laborisque degere posset. Insuper scripsit se toto ex animo menda administrationis suae dolere.

Num cardinalis Ledochowski ipsi P.ri Andreae Amrhein responderit, nescitur. Sed ex epistolā cardinalis Ledochowski ad Monacensem nuntium apostolicum directā apparet eum resignationem accepisse et decretum episcopi Augustani, quo P.rem Bernvardum Baule superiorem Ottiliensem ad

⁸⁶ Cfr Leander BOPP (1954), p. 253; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 221; Bernita WALTER (1985), p. 155; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 293; Suso BRECHTER (1963), p. 262.

⁸⁷ Textum originaliter Latinum utriusque telegrammatis affert Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 221.

⁸⁸ Ceterum revera scripsit «P. Bernardo», non «P. Bernvardo».

⁸⁹ Cfr Leander BOPP (1954), p. 252; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 222; Suso BRECHTER (1963), pp. 262 sq.; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 293, qui partem originalis textūs Francogallici affert.

tempus instituit, probavisse.⁹⁰

Episcopo Augustano Petro von Hötzl P. Andreas Amrhein denique die 18^o m. Ian. a. 1896^o epistulam misit, quā ei quōque resignationem suam indicavit.⁹¹ Praeter alia idem expressis verbis declarat se paratum esse Societati missionariae Sancti Benedicti bona coempta ut possessionem tradere eo modo, qui ab episcopo maxime securus atque maxime opportunus esse existimaretur. Similiter autem ac in epistulā ad cardinalem Ledochowski directā rogavit, ut episcopus «*hereditatem spiritualem operis susciperet atque idem tueretur promoveretque*».

His indiciis ad nuntium apostolicum, ad Congregationem de Propagandā Fide atque ad episcopum Augustanum translatis officialis resignatio P.ris Andreae Amrhein effecta erat, qui inde ex illo tempore non iam erat superior generalis foundationis Ottiliensis. Tamen restabat difficilis quaestio solvenda, quo modo bona sine detrimento foundationis transferrentur. Nam difficultas erat in eo, quod omnia bona foundationis Ottiliensis sub nomine P.ris Andreae Amrhein inscripta erant, similiter bona sororum sub nomine Catharinae Scheins.

Hac in quaestione translationis P. Bernvardus Baule aliquatenus urgebat, quia imprimis superiorissae resignatae omnino non est confisus, sed etiam quasdam dubitationes habuit, quod attinet ad P.rem Andream Amrhein. Tamen videtur P. Andreas Amrhein generaliter revera ad bona tradenda paratus fuisse. Sed in initio, id est mense Ianuario, condiciones quasdam cum tali

⁹⁰ Cfr Frumentius RENNER: Leuchter I (1979), p. 225; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 294. - Andreas Aiuti episcopo Augustano die 20^o m. Ian. a. 1896^o epistulariter sententias cardinalis Ledochowski communicavit. Praeterea apparet cardinalem iam de condicionibus futuris cogitavisse, quia - ut scripserat -, cum textus constitutionum domūs missionariae non exstaret, «*adoptari posset codex constitutionum congregationis Benedictinorum Beuronensis introducendo in illum modificationes et additiones, quae opportuniores videantur.*» Talem textum mutatarum constitutionum episcopus Congregationi de Propagandā Fide proponeret, «*ut concedatur pro experimento ex. gr. ad sexennium, antequam definitiva approbatione donetur.*» (Sententias originaliter Latinas affert Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 294). Videtur ergo cardinalis Ledochowski iam illo tempore consociationem Ottiliensem ut congregationem Benedictinam constituere voluisse.

⁹¹ Cfr Leander BOPP (1954), pp. 253 sq.; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 294; Frumentius RENNER: Leuchter I (1979), pp. 222 sqq., qui etiam originalem textum Theodiscum illius epistulae affert. Videtur autem P. Andreas Amrhein denique tertium epistulae exemplar, quod adumbraverat, ad episcopum misisse. - Ceterum eodem tempore etiam P. Cassianus Spiss officialiter indicavit se munus superioris generalis temporanei deponere.

actu adhuc conexit. Nam statu vigente possibilitas maxime opportuna ei videbatur bona alicui ex patribus Ottilianis tradere. Hac in re secundum eius opinionem solum duo patres vērunt in quaestionem, nempe P. Cassianus Spiss et P. Maurus Hartmann. Sed bona uni ex illis solum tradere voluit sub hac condicione, quā idem etiam superior generalis fieret.⁹² Sed hōc desiderium erat satis vanum. Itaque P. Bernvardus Baule et P. Alfonsus Adams die 13^o m. Febr. a. 1896^o Romam vecti sunt, ut cum P.re Andrea Amrhein consultationes instituerent. Sed hōc iter frustra susceperunt, cum eundem attingere non valerent.

Tamen videtur P. Andreas Amrhein interea maximā intranquillitate internā atque nervis corruptis laboravisse. Itaque tunc bona quam celerrime tradere atque ab omni responsalitate liberari voluit. Timuerat autem ipse, ne perturbatione mentali afficeretur, quā factā translationis actus legalis fieri non iam posset.⁹³ Eā de causā ipse urgere coepit.

Die 18^o m. Febr. a. 1896^o P. Andreas Amrhein apud episcopum Augustanum erat, ut se ad bona tradenda paratum esse affirmaret. Eodem die etiam ad Sanctam Ottiliam vēratur, ut vasa quaedam colligeret. Die autem 21^o m. Febr. a. 1896^o iam iterum apud Petrum von Hötzl versabatur. Nam eo die episcopo circiter quindecim milia marcarum tradidit, quae ex «pecunia Epiphaniae collecta» annorum 1894ⁱ et 1895ⁱ supererant.⁹⁴ Ad has consultationes etiam acciti sunt P. Bernvardus Baule atque P. Leo Lang. Quā condicione etiam reconciliatio quaedam inter P.rem Bernvardum atque P.rem Andream Amrhein instituebatur.⁹⁵

Quamvis P. Andreas Amrhein urgeret atque inquietus esset, per quasdam septimanas adhuc exspectandum erat, usquedum conveniens modus bonorum tradendorum inventus esset. Interea P. Andreas Amrhein die 27^o m. Febr. a.

⁹² Cfr Leander BOPP (1954), p. 255; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 232; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 295.

⁹³ Hoc referunt Leander BOPP (1954), p. 256; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), pp. 232 sq.

⁹⁴ Cfr Leander BOPP (1954), pp. 255 sq.; Paulus WEISSENBERGER (1963), pp. 297.

⁹⁵ Cfr Leander BOPP (1954), p. 256. - Tamen videtur non iam vera confidentia inter eos exorta esse. Nam unā ex parte P. Bernvardus suspicatus est P.rem Andream Amrhein adhuc magnam summam pecuniariam ex «pecuniā Epiphaniae collectā» habere (qua in re P. Bernvardus ab episcopo monitus est, ut hanc rem in quiete relinqueret), alterā ex parte P. Andreas Amrhein postea questus est se, cum ultimā vice in monasterio Ottiliensi versaretur, non satis amicaliter tractatum esse. Quam quōque condicionem P.ri Bernvardo opprobrio dedit.

1896^o in monasterium Ottiliense revertit, ut ad res suas colligendas per breve spatium temporis ibīdem maneret. Die 2^o m. Mart. a. 1896^o īdem quadamtenus definitive Sanctam Ottiliam reliquit.⁹⁶

Sed terminus maximi momenti hōc in conexū erat dies 14^{us} m. Mart. a. 1896^o. Nam illo die P.re Andreā Amrhein et episcopo Petro von Hötzl praesentibus contractus de bonis tradendis apud tabellionem factus initusque est. Facta autem sunt haec: P. Andreas Amrhein omnes titulos possessionis ad consociationem Ottiliensem pertinentes episcopo Augustano ut donationem inter vivos tradidit. Hōc dono accepto episcopus promittere debuit se exsistentiam futuram domūs missionariae Ottiliensis curaturum esse. Si éadem dissolvenda esset, sodalibus dotes reddendae erant atque ipsa donatio congregationi Beuronensi tradenda erat. Si autem hoc fieri non posset, donatio ad aliam societatem missionariam transferenda erat. Sed magni momenti erat clausula, quā dicebatur simulatque congregatio Ottiliensis ius personae iuridicae collegialis sibi acquisivisset, ab eipsco hanc donationem eidem statim traditum iri.⁹⁷

Simili autem modo iam die 21^o m. Febr. a. 1896^o Catharina Scheins bona monasterii sororum ad episcopum transtulerat, sub reservatione tamen, quā haec donatio solum esset valida, si domus missionaria Ottiliensis intra unum annum ius personae iuridicae collegialis sibi acquisivisset.⁹⁸

⁹⁶ *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 256.

⁹⁷ De hōc conexū *cfr* Leander BOPP (1954), pp. 256 sq.; Frumentius RENNER: *Leuchter I* (1979), p. 234; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 297; brevissime Suso BRECHTER (1963), p. 263.

⁹⁸ Res quaedam mira subiungenda est, quā etiam indoles Catharinae Scheins illustratur. Nam agitur de hypotheca circiter duodeviginti milium marcarum, quae sub nomine Catharinae Scheins inscripta erat. Hōc factum erat hunc in modum: debitrīx huius hypothecae fuerat Rosa Herrle, cuius gener aliquando renuntiationem hypothecae declaraverat. Ut ab Ottilianis pecunia debita redderetur, adhibita sunt undecim milia marcarum, quae ex dote sororis Michaelae Zepf sumptae sunt, et circiter septem milia marcarum ex possessione consociationis virorum, quam summam pecuniariam P. Andreas Amrhein, qui illo tempore aegrotavit, Catharinae Scheins tradidit, ut res curaretur. Debita ad Rosam Herrle spectantia ergo hac pecuniā adhibitā sunt soluta. Sed Catharina Scheins hypothecam non delendam, immo sub nomine suo inscribendam curavit. In bonis autem anno 1896^o tradendis illa hypotheca non respiciebatur (sive per errorem sive quia Catharina Scheins eam reticuit). Difficultates vero exortae sunt, cum mense Ianuario a. 1898ⁱ Catharina Scheins rogaretur, ut hypothecam tandem delendam curaret. Nam Ottiliani ipsi hoc facere non potuerunt. Tamen éadem rem recusavit, quā de causā pecunia redivitua anno 1896^o concessa ei non iam transferebatur. Toto in casu, qui diutius protrahebatur, etiam consultationes inter Ottilianos, id est eorum

superiorem Ildefonsum Schober, et cardinalem Ledochowski, praefectum Congregationis de Propagandā Fide, instituebantur. Quaedam ex illis epistulis in archivo Ottiliensi inveniuntur, ex quibus imprimis una die 28^o m. Febr. a. 1901^o ab Ildefonso Schober ad praefectum data est satis instructiva ad totum conexum explicandum. Cuius textus originaliter Latinus est hic (ASO, A.2.1.1):

«Ut paucis verbis statum rei proponam: Tunc longiore responso sub 28 Ianuario 1900 sententiam non solum iurisconsulti nostri sed etiam seniorum Monasterii ad St, Ottiliam pronuntiavi modo sequenti: a) Pristina Superiorissa nomine Scheyns iniustissimo modo hypothecam super bona Ottiliensia intabulatam, quae summam 17931 marcarum efficit, sibi vindicare studet. Ex hac vero summa 11000 marcarum sunt sororis cuiusdam adhuc in Congregatione nostra viventis, quae hanc summam secum dotem apportavit. Quod vero reliquum attinet scilicet 6931 marcas, quas femina Scheyns quidem suum patrimonium esse dicit, nos autem gravibus ex causis huius feminae esse dubitamus, dicta Scheyns ad hanc summam ius omnino non habet. Instrumento enim publico a Notario publico composito et idcirco iure pollenti eadem dictis pecuniis renuntiaverat hisce verbis: «Ipsa domina donatrix isti patrimonio quod attulit quodque in res familiares conversum est, renuntiat.» Sed factum est errore Notarii, ut post hanc renuntiationem hypotheca 17931 marcarum - id quod debuit - e publicis tabulis deleri omissum fuerit. Qui error tum demum in lucem prodiit, cum domina Scheyns iam abierat. b) Atque nobis quidem competens ius in dictam summam ipsum iudicium Regii Gubernii Bavarici agnovit, quippe quod, ut legitime nostrum ius tueretur, die 14 Februarii 1898 nostram contra iniustam illam hypothecam protestationem publicis tabulis adiungi curaret. c) Re diligentissime deliberata et iurisconsultis auditis nec non annuente Revdmo Domno Episcopo Augustano: ut iniustas Dominae Scheyns vexationes effugeremus, pensiones huius mulieris suspendere coepimus, et cum ad recentem conatum rei componendae die 20 Octobris 1899 factum responsum datum non esset, facere non poteramus, quin pensionem suspendere pergeremus. Qua suspensione si desisteremus, id ab illa muliere non tamquam benignitatis actus, sed tamquam confessio alicuius iniuriae ex nostra parte ipsi allatae haberetur. d) Ascripseramus quoque illae [-li] epistulae, minime agi de inopia feminae Scheyns eamque iis ex rationibus, quibus hanc nostram sententiam (sc. de inopia) nitebamur, evitare causam ad magistratus civiles deferre, id quod saepe iam minitata esset; quippe cum rem pro se ipsa prospere non exituram optime sciret. Quae nostra opinio insuper anno 1900 firmabatur, cum usque in hanc diem omissa esset accusatio, quae - ut ex copiis duarum epistularum videri licet - instruenda esset in urbibus Monachia et Landsberg mensibus praeteriti anni accurate determinatis. Rebus igitur denuo sedulo deliberatis et iactatis facere non possumus, quin nunc quoque et in posterum statu priore stemus i.e.: Nec cunctantes nec repugnantes solvemus non solum residua pensionis a mense Septembri 1897 retentae, sed etiam in posterum quotannem pensionem, ea una condicione, ut Domina Scheyns cedat hypotheca 17931 marcarum sub ipsius quidem nomine intabulata ei vero iure nequaquam propria.

Duorum iurisperitorum votum brevi sic sonat: «Feminam Scheyns debere absolute cedere; eius postulatum esse iniustum, proferat causam ad iudices.»

Denique annua pecunia redituaria et P.ri Andreae Amrhein et Catharinae Scheins concessa est.⁹⁹ Hōc contractū atque translatione bonorum omnia vincula inter domum missionariam atque priores superiores soluta erant atque primum temporis spatium Ottiliense finitum erat.

Digressio: QUAEDAM SUPPLENDA

1. De reliqua vita P.ri Andreae Amrhein

Quaedam de reliquā vitā P.ri Andreae Amrhein tamen adhuc referenda sunt. Non iam nimis multa acciderunt, quamvis usque ad mortem suam alios triginta annos viveret.

Postquam munere se abdicavit et bona Ottiliensia tradidit, in Italiam se recepit. Ibīdem in Umbria monasteriolum invenerat, in quod se recipere et ubi vitam suam orando et laborando degere voluit.¹⁰⁰ Sed brevi post propter diffidentiam, quae erga ipsum exorta erat, illum locum iterum relinquere debuit.¹⁰¹ Deinde in merā solitudine vivere desideravit, non solum propter

Congregatio de Propagandā Fide Ottilianis affirmavit eos hac in re recte agere atque Ildefonso Schober concessit, ut hunc in modum progredi ei liceret, quemadmodum opportunum esse putaret [epistolā die 29^o m. Mart. a. 1901^o datā (ASO, A.2.1.1)]. Itaque Catharinae Scheins indicabatur ei pecuniam redituariam denuo attribui, si hypothecam delendam curaret. Sed éadem hōc tantummodo facere voluit, si illas 17931 marcas acciperet. Insuper rem iurisperito tradidit, qui se Ottilianos in ius vocare minatus est. Cum autem iidem responderent talem actionem sibi esse desiderabilem, ab Catharina Scheins hac in re non iam quicquam audiebatur.

Tamen illa hypotheca adhuc exstitit atque Ottilianis impedimento erat. Denique circiter annum 1912^{um} contigit, ut hypotheca deleretur. Nam iurisperitis consulentibus publice rogatio ferebatur, ut titulus in indice fundorum inscriptus erga debitorem mansionis ignotae invalidus declararetur. Cum autem Catharina Scheins intra terminum constitutum nihil renuntiavisset, hypotheca deleta est. (*Cfr* Leander BOPP (1954), pp. 257 sq.).

⁹⁹ Scribit Leander BOPP (1954), p. 257 annuam summam redituariam pro P.re Andrea Amrhein fuisse duo milia marcarum, pro Catharina Scheins duo milia quadringentas marcas. Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 234 indicat unicuique eorum bina milia marcarum in anno esse concessa.


¹⁰⁰ *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 265; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 235; Godfrey SIEBER (1992), p. 122.

¹⁰¹ Leander BOPP (1954), p. 264 scribit P.rem Andrea Amrhein ibīdem iam per unam septimanam versatum esse, cum Romam vectus esset, ut habitationem suam dissolveret. Post reditum autem in illo monasteriolo ei dictum esse eum ibi manere non posse, quia monasterii responsales interea ex magistratibus Romanis aliquid de eius

nervos affectos, sed etiam quia in machinā quādam construendā occupatus erat.¹⁰² Tamen de quānam re actum sit, nescitur. Illo tempore etiam nemini inscriptionem suam cursualem indicare voluit.

In fine mensis Martii a. 1897¹ denuo Romam vēnit, ut ibīdem psychiatrum consuleret. Videtur etiam aliquamdiu in valetudinario ad nervos curandos commoratus esse.¹⁰³

Annis insequentibus quiete quadamtenus carens variis locis versatus est.¹⁰⁴ Primo Florentiae atque in regione Florentina vixisse videtur.¹⁰⁵ Deinde ab anno 1900^o sive 1901^o in Helvetiā invenitur: Turici, Einsidlae,



P. Andreas Amrhein inter archiabbatem Norbertum Weber (a sinistris) et episcopum Thomam Spreiter.

condicionibus Germanicis comperissent. Frumentius RENNER: Leuchter I (21979), p. 235 indicat eum adhuc tempore vernali anni 1897¹ in illo monasteriolo fuisse.

¹⁰² Cfr Leander BOPP (1954), p. 265; Frumentius RENNER: Leuchter I (21979), p. 235; Godfrey SIEBER (1992), p. 122.

¹⁰³ Cfr Frumentius RENNER: Leuchter I (21979), p. 235; Bernita WALTER (1985), p. 155 adn. 80. - Ut Cyrill SCHÄFER (2005), p. 45 adn. 67 commemorat, videtur P. Andreas Amrhein Romae etiam novam existentiam ut artifex instituere conatus esse, sed propter gravem morbum nervorum ad labores exanclandos non iam aptus erat.

¹⁰⁴ Ut Leander BOPP (1954), pp. 265 sq. adnotat, singuli loci atque spatia temporis ex variis fontibus excerpta sunt. Idem quoque brevem indicem commorationum exhibet.

¹⁰⁵ Ut Frumentius RENNER: Leuchter I (21979), p. 235 commemorat, P. Andreas Amrhein consilium habuit Florentiae scholam artis Christianae condere, quod tamen ad effectum non est adductum.

b. Mariae ad Petram,¹⁰⁶ Basileae.¹⁰⁷ Hōc spatium temporis usque in mensem Aprilem a. 1907ⁱ protractum est. Usque ad hunc annum per decennium munere sacerdotis non iam functus erat.¹⁰⁸

Sed ipso anno 1907^o condiciones mutatae sunt. Nam inde ex die 25^o m. Apr. a. 1907^o P. Andreas Amrhein Stuttgartiae versabatur atque ibīdem in valetudinario Mariano habitabat. Illuc enim Rottenburgensis episcopus Paulus Vilelmus [*Paul Wilhelm*] von Keppler eum accivit,¹⁰⁹ quia opus ei tradidit, quo delineationes ad catechismum dioecesis Rottenburgensis illustrandum exararet. Hōc opus faciendum P. Andreas Amrhein suscepit et ex illo tempore etiam munere sacerdotali iterum functus est.¹¹⁰ Opere autem delineationum anno 1913^o confecto P. Andreas Amrhein episcopum rogavit, ut diutius in eius dioecesi manere sibi liceret, quod ei concessum est.

Quamvis P. Andreas Amrhein muneris abdicatione officialem coniunctionem cum fundatione suā solvisset, tamen condiciones Ottilienses eius semper intererant et cum nonnullis Ottilianis, qui



*Sepulcrum P.ris Andreae Amrhein
ante magnam crucem situm
et tempore hiemali receptum.*

¹⁰⁶ *Mariastein*: vicus atque monasterium non longe ab Basilea situm. - Cfr GRAESSE / BENEDICT / PLECHL: *Orbis Latinus. Lexikon lateinischer geographischer Namen des Mittelalters und der Neuzeit.* Braunschweig 1972, II p. 476.

¹⁰⁷ Cfr Leander BOPP (1954), pp. 265 sq.; Frumentius RENNER: *Leuchter I* (1979), p. 235; Bernita WALTER (1985), p. 155 adn. 80; Godfrey SIEBER (1992), p. 122.

¹⁰⁸ Cfr Godfrey SIEBER (1992), p. 122; Frumentius RENNER: *Leuchter I* (1979), p. 235, qui etiam adnotat P.rem Andream Amrhein illo tempore ut hominem privatum vixisse atque nomine Iosephi Amrhein subscripsisse.

¹⁰⁹ Dicitur P. Andreas Amrhein Paulum Vilelmum von Keppler ex tempore studiorum Tubingensium novisse atque amicitia cum ipso coniunctum fuisse.

¹¹⁰ Cfr Leander BOPP (1954), pp. 266 sq.; Frumentius RENNER: *Leuchter I* (1979), pp. 235 sq.; Godfrey SIEBER (1992), p. 123; Bernita WALTER (1985), p. 155 adn. 80.

imprimis ad initium foundationis pertinuerant, commercium epistulare habuit.¹¹¹ Ipse videtur iam inde ab tempore primi belli mundani dixisse se libenter ad monasterium Ottiliense redire velle. Denique anno 1923^o ab Ottilianis invitatus est, ut reliquos annos vitae apud ipsos degeret. Gaudenter ergo die 18^o m. Aug. a. 1923^o in archiabbatiam Ottiliensem, quae tunc temporis iam erat, revertit.¹¹² Ibīdem omnino receptus vixit et vitam conventūs vix participavit.¹¹³ Tamen cum P.re Amando Heinze, quem quōque secum Romam sumpserat illo tempore, quo ibīdem superioratum generalem instituire vellet, commercium frequentius habuisse videtur. Denique 29^o m. Dec. a. 1927^o P. Andreas Amrhein vitā functus est, quo tempore octogesimum quartum annum vitae paene explevit. Sepultus est in archiabbatiae Ottiliensis coemeterio, ubi in summitate collis immediate ante magnam crucem¹¹⁴ eius sepulcrum invenitur. In lapide autem sepulcrali leguntur haec:

RESVRRECTVRVS HIC IACET
P. ANDREAS AMRHEIN OSB
FVNDATOR CONGREGATIONIS OTTILIENSIS
nat. 1844 prof. 1871 presb. 1872
SVPERIOR GEN. 1884-1896
† 29. DEC. 1927
IN PACE

¹¹¹ Leander BOPP (1954), p. 268 ex. gr. enumerat episcopum Thomam Spreiter, abbatem Coelestinum Maier, P.rem Paulum Sauter, P.rem Brunonem Weinrich aliosque.

¹¹² *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 268; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), pp. 235 sq; Bernita WALTER (1985), p. 155 adn. 80; Godfrey SIEBER (1992), p. 123.

¹¹³ Frumentius Renner narravit se, cum esset discipulus seminarii Ottiliensis, aliquando in ambulatione cum aliis factā P.ri Andreae Amrhein occurrisse, qui tunc cum eis breviter locutus est. - *Cfr* Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 236 adn. 275; Frumentius RENNER: Neun Jahrzehnte im Rückspiegel. St. Ottilien 2001, p. 36, ubi etiam adnotat se illo tempore, quō hōc scripsit, ultimum inter vivos esse, qui P.rem Andream Amrhein adhuc vidissent. (P. Frumentius Renner die 18^o m. Dec. a. 2000^o vitā functus est).


¹¹⁴ Illa magna crux tamen anno 1933^o demum exstructa est. - *Cfr* Maria HILDEBRANDT: Lebendige Steine. St. Ottilien 2008, p. 274.

2. De persona atque indole P.ris Andreae Amrhein

In initio historiae Ottiliensis multa - et positiva et negativa - cohaerent cum P.ris Andreae Amrhein personā et indole. Qualis ergo homo fuerat īdem? Responsum est haud facile, cum tot condiciones ambiguae atque contradictoriae appareant.

Primo dicendum est P.rem Andream Amrhein optimā multiplicique indole praeditum fuisse; nonnulli eum etiam paene ingeniosum appellaverunt.¹¹⁵ Praeter alia multas facultates boni artificis habuit, inclinatio architectandi ei erat et insuper ingenio quodam tecnico excelluit. De eius vocatione atque zelo religioso etiam dubitandum non est. Praeterea ei erat phantasia atque aliquo scopo ideali inflammari potuit, id quod ex. gr. in eius fundatione atque in eius impetū missionario manifestatur. Videtur autem charisma personale habuisse, quo ei contigit, ut alios homines ad opus suum attraheret et eos quōque sibimet ipsi adiungeret.¹¹⁶

Ab iuventute vero valetudine non ita stabili laboravit, quae condicio tamen variabatur, cum decursū annorum morbi quidam adderentur et īdem interdum tam vehementer aegrotaret, ut de vitā eius timeretur.



*P. Andreas Amrhein
octoginta annos natus.
[Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER
(2003), p. 68.]*

¹¹⁵ De P.ris Andreae Amrhein indole modoque se gerendi *cfr* ex. gr. Leander BOPP (1954), passim; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), praesertim pp. 195 sqq., pp. 201 sqq; Godfrey SIEBER (1992), p. 122.

¹¹⁶ Hoc animadvertitur ex eo, quod multi Ottiliani etiam condicionibus difficillimis perseveraverunt, quae res certe non solum cum communi scopo missionario cohaerebat, sed etiam cum persona superioris. De P.re Mauro Hartmann, etiamsi īdem de quibusdam rebus semper sententiam propriam servaverat, ex. gr. dicitur eum aliquando protulisse se nulli alii homini umquam ita adhaesisse ut P.ri Andreae Amrhein.

Tamen omnes vires suas indesinenter adhibuit, ut visionem suam sequeretur eamque ad effectum adduceret. Quid hoc significet, saltem paululum imaginari possumus, cum illas difficultates externas internasque et illa obstacula in memoriam revocemus, quae cum primo sesquialtero decennio foundationis artissime cohaerent. Diu autem P. Andreas Amrhein penso laborum copiaque curarum obrutus erat, quae interdum supra modum erant, quem unus homo solus sustinere valeret.

Tamen eius indoles etiam alios aspectus habuit. Sic per totam eius vitam intranquillitas quaedam interna atque instabilitas animadvertuntur. Quae condiciones verbi gratia manifestantur multis itineribus, quae suscepit,¹¹⁷ atque variis mutationibus loci habitandi et in iuventute et post resignationem factis. Sed etiam aliis in rebus haec animi dispositio animadvertebatur. Cum enim optimam indole esset praeditus, videtur saepe putavisse omnia celeriter atque facile sibi contingi.¹¹⁸ Hunc in modum iudicavit etiam abbas Ildefonsus Schober Seccoviensis,¹¹⁹ qui P. rem Andream Amrhein ex communi tempore Beuronensi noverat, cum in initio visitationis foundationis Ottiliensis scriberet haec: «*Tota organizatio externa internaque huius Benedictinae societatis missionariae sic dictae est res prorsus imperfecta, omnino simulacrum fundatoris sui, P. ris Andreae, qui ingeniosa indole praeditus atque ambitiosus tamen non est talis vir, qui scopos suos bonos ordinatim [...] atque tranquille continuare et usque in res minimas perfectos reddere valet.*»¹²⁰

Videtur ergo P. ri Andreae Amrhein quidem perseverantia quaedam fuisse, cum ageretur de scopo maiore generalique, quem ante oculos habuit et quem ad effectum adducere voluit, tamen aliud genus perseverantiae ei defuisse videtur, quam indesinenter minores labores cottidiani postulantur.

Decursu autem temporis aspectus difficiles eius indolis magis magisque apparuerunt. Fortasse haec condicio etiam effecta est plurimis laboribus curisque, quibus per multos annos obrutus erat. Alteram ex parte curae quaedam, quibus et fundatio et ipse afficiebantur, ex eius indole atque eius modo

¹¹⁷ Non autem dubitandum est, quominus quaedam itinera fuerint opportuna atque necessaria, cum de fundatione instituenda stabiliendaque ageretur. Interdum enim in consultationibus vere utilis est propria praesentia. Tamen quaedam res etiam scripto modo fieri possunt. Denique P. Andreas Amrhein itinera, quae ab ipso exspectabantur et quae operi utilissima fuissent (ex. gr. ad episcopos Germaniae), tamen non suscepit.

¹¹⁸ Sic iudicat Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 202.

¹¹⁹ Seccovia, -ae f.: *Seckau*.

¹²⁰ Textus originaliter Theodiscus. - Cfr Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 254; Godfrey SIEBER (1992), p. 122.

agendi exortae sunt.

Nam unā ex parte - uti iam dictum est - P. Andreas Amrhein charisma habuit atque facultates, quibus homines sibi reique suae conciliare valuit, alterā ex parte multi amici familiaresque decursū temporis - sive brevioris sive longioris - iterum abalienati sunt.¹²¹ Quod autem attinet ad fratres patresque consociationis (et etiam ad cooperatores externos) exspectavit quidem oboedientiam absolutam, sed - imprimis inde ex anno 1891^o - magis magisque ex communitate suā se retraxit, ita ut saepius, etiamsi necessitas non ita exstitit, solus commorari praetulit.¹²² Praeterea ut regulae legesque internae stricte observarentur postulavit nullam dispensationem praebens, sed sibimet ipsi saepe id concessit, quod aliis nullo modo licuit. Certe confratres suos dilexit, sed eosdem tantummodo se ipsum respicere sibique adhaerere desideravit, immo expetivit. Cum autem rem aliter se habere putavit, magnam zelotypiam exhibere valuit.¹²³ Decursū autem temporis magis magisque inclinationem ad autocratismum monstravisse videtur.¹²⁴ Tamen talis modus se gerendi signum quōque est, quo munus quoddam supra vires agentis est.

Nihilominus viribus suis numquam pepercit, cum ageretur de fundatione suā. Sed alterā ex parte interdum nimiam conscientiam sui laboravisse videtur atque nonnumquam realitates dissimulavit, cum desideriis suis non conveniebant. Plura exempla huiusmodi dispositionis totā in eius vitā inveniuntur, ex quibus solum unum, sed satis significans est titulus statusque abbatis, quem desideranter sibi exoptavisse videtur et quo inde ex anno 1892^o saepius usus est, quamvis talem titulum illicite sibi arrogavisset.¹²⁵

¹²¹ Hanc condicionem expressis verbis commemorat Leander BOPP (1954), p. 130, qui etiam iudicat talibus in rebus P. rem Andream Amrhein non omnino sine culpa fuisse posse.

¹²² Nihilominus sub quibusdam aspectibus intellegi potest interdum quietem quandam necessariam esse, ut labores maioris momenti sine magnā perturbatione exanclentur.

¹²³ Ut verbi gratiā in P. re Bonifatio Fleschutz factum est (*vide supra* cap. 2.3.3.3.).

¹²⁴ *Cfr* ex. gr. Leander BOPP (1954), p. 196, qui etiam plura exempla huiusmodi condicionis affert.

¹²⁵ Factum est hoc ex interpretatione omnino falsā alicuius epistulae cardinalis Ledochowski, quā Francogallice scriptā idem P. rem Andream Amrhein allocutus est locutione, quae est «*Très Rev. Père Abbé*». Sed conclusio, quam P. Andreas Amrhein ex his verbis traxit et quā inde dixit se esse «abbatem» sive «abbatem titolarem», est prorsus inconveniens. Nam illud nomen, q.e. «abbé», in linguā Francogallicā est alloquium reverentiam exprimens, quod omnibus sacerdotibus attribuitur, non solum «abbatibus» veris. Est autem omnino praeter rem ex tali verbo in epistolā adhibito putare aliquem in statum atque honorem abbatis evectum esse. Tamen P. Andreas

Decursū autem temporis propter nimiam contentionem virium P.ris Andreae Amrhein impetus mentalis valde minuebatur.¹²⁶ Cum hac condicione etiam cohaeret, quod dispositio quaedam mentalis, quae apud ipsum iam inde ab iuventute animadvertebatur, magis magisque apparuit atque aucta est. Nam eius condicio psychica variabatur inter maximam actuositatem atque lethargiam, inter magnum optimismum, quo iterum iterumque nova incepta sibi proposuit atque eadem iam ad effectum adducta vidit, et depressionem animi, quā praesentiam aliorum hominum timide vitavit.¹²⁷ Tamen P. Andreas Amrhein ipse scivit sibi difficultates psychicas esse et se hanc ob rem aegrotare, quā de causā interdum etiam psychiatrum adire solebat.

Ex talibus condicionibus dispositionibusque, quae cum pluribus laboribus curisque coniunctae multiplicabantur, paulatim difficultates maiores exortae sunt, quibus P. Andreas Amrhein paene usque ad collapsum nervorum adductus est. Tamen in oblivionem venire non licet sine magnā visione P.ris Andreae Amrhein, quam indesinenter secutus est multis obstaculis neglectis, et sine eius laboribus, quos in opus suum insumpsit, fundamentum non esset positum, supra quod successores deinde rem stabilitam superstruere poterunt.¹²⁸

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 179, 2010, 35-68]

Amrhein inde ex illo tempore hōc titulō usus est (imprimis «abbatem titularem » se appellavit) et in commercio epistulari sic subscribere solebat. Interdum etiam anulum atque pectorale gessisse videtur. Ut ex variis adnotationibus apparet, eius confratres Ottiliani quōque eum abbatem factum esse crediderunt et plerumque eum sic allocuti sunt. (Cfr ex. gr. Cyrillus Wehrmeister: Erinnerungen (ASO, A.1.8.1), qui, cum agatur de P.re Andrea Amrhein, solum de patre abbate scribit). - De toto conexu cfr Leander BOPP (1954), pp. 172 sqq.; Frumentius RENNER: Leuchter I (1979), p. 132 adn. 144, p. 193; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 282.

¹²⁶ Frumentius RENNER: Leuchter I (1979), p. 203 putat P.rem Andream Amrhein, ut talem deficientiam impetūs mentalis celaret, se immersisse in consilia aedificandi, quibus etiam duris officiis cottidianis se subtraxisset.

¹²⁷ Cfr Frumentius RENNER: Leuchter I (1979), p. 195; Leander BOPP (1954), pp. 244 sq.

¹²⁸ Suso BRECHTER (1963), p. 267 aestimavit initia Ottiliensia hunc in modum: «P. Andreas Amrhein erat is, qui rem studiosissime incohaverat, abbas Ildefonsus Schober erat is, qui rem prudenter servavit, archiabbas Norbertus Weber erat is, qui vero rem large formavit.» (Verba originaliter Theodisca).